



1071

Differt.theol. Vol. 16

einzelu verzettelt 17. II. 1915.

12

THESES HUTHMANNIANÆ

quæ,
Potiores erunt è Tractatu ipsius, cui
Titulus:

FOEDUS NOVUM,

quantum
â Theſibus orthodoxis differant
oſtenſum

â

Veritatis quodam amante in Comitatu Honſteinensi
Anno 1697.

Irenæus lib. I. adv Hæres. Cap. XXXV.

Adversus hæreticos victoria est,
sententiæ eorum manifestatio.

Lector Benevole,

AD manus venere nuper Libri duo Tractatus M. Henningi Huthmann, Rectoris antehac Cœnobii Ilfeldensis, cui Titulus: *Fœdus novum Jer. XXX. 31. ad consensum in Articulo de Justificatione hominis coram Deo Christianis restituendum*, quos cum obiter saltem perlustrarem & plurima inibi Veritati Evangelico-Lutheranæ adversa deprehenderem, illico ardebam studio, ea, quæ hactenus ex lectione superficiali primoribus quasi labris degustâram, rectius cognoscendi. Proinde cœpi, non solum iterum atq; iterum eosdem majori cum studio & attentione relegere, sed & excerpere Theses, quæ mihi se offerebant heterodoxæ, easq; dehinc cum Thesisbus Nostratum orthodoxis conferre. Ex quo mox fiebat, ut præsentibus, quas hic conspicias, Theses & Antitheses inde enascerentur. Enimvero mihi ipsi duntaxat eas notaveram, nec animus erat, easdem publici juris facere; Attamen cum animadvertirem, fieri posse, (vereor ne jam factum sit,) ut incauti & quorum sensus sunt inexercitati, facile arripiant, quod fraudes horum, qui simulatione loquuntur falsa (die in *Gleichnerey Heuchelen und Scheinheiligkeit Lügenredner sind* 1. Tim. IV. 2.) sub specie boni & veri venditant; Persvaderi facile potui, ut ex universâ istarum ultro citroq; collatarum thesium compage quatuor tantummodo seligerem prelo submitendas, ad quas reliquæ omnes facili negotio ita revocare liceret, ut quid in iis veri falsive in esset, quivis, qui positivæ nostræ, quam dicimus Theologiæ fundamenta fideliter jecerit perspicere & dijudicare posset. Nec enim, quod Te, amice Lector, præmonitum volo, hîc examen Oecomiæ universæ hujus ita dicti Fœderis institui, aut refutationem totius Huthmanniani operis quoad singulas partes suscepi, quippe id nec mearum partium esse nec forsan operæ pretium fore judicavi, utpote qui hæc omnia relinquo aliis,

A

iisq;

no

iisq; , quibus provida imperantium cura munus Elencticum
detulit. Hoc sufficere impræsentiarum poterat, ostendere sal-
tem collatione Veri & Falsi, quantum distent Theses Huthman-
nianæ Thesibus Nostratum orthodoxis. Cæterum, quod me-
um nomen, qui hæc scribo, non sit expressum, ne mirare. Ve-
ritas enim, quæ orthodoxis continetur Thesibus, non qui-
dem fugit lucem; Ast ego tamen potissimum eam ob cau-
sam latere malui, ne pagellæ hæc statim emanibus excutian-
tur iis, quibus non insolitum, ob loci obscuritatem quævis
frivolè, quamvis malè, cum Nathanaële contemnere: A
Nazareth potestne aliquid boni esse? Joh. I. 46.

Fac benignissime JESU, qui es Veritas & Vita, ut er-
rantes à Te in viam redeant, contradicentes Tibi confun-
dantur. Nos autem, qui Veritatem adhuc tenemus, con-
serva, ne implicemur iniquitati postremorum temporum,
de quibus apud Evangelistam sermo tuus: Filius hominis,
cum venerit, an reperturus est fidem in terrâ? Amen!

✠!(*)!✠

✠

THESIS I. HUTHMANNIANA, Fides non est medium salutis, sed An- tecedens.

Thesis hæc continetur in his Lib. II. §. 21. p. 29. verbis:
*Ergo fides est verum illud Antecedens, quod nos fœderi
novo incundo præstat justos. It. §. 22. p. 30. Beatitudo videtur
potius in ipso fœdere posita, quam in ejus Antecedente. It. §. 30.
p. 41. Quod autem salus, quatenus est ipsa vita æterna, non tribu-
atur fidei, ut medio immediato, colligitur ex aliorum requisi-
torum necessitate, quæ fidem non præcedunt, sed fidem sibi re-
quirunt præmittendam.*

Thesis hæc est:

Socinianorum, qui inficiantur, fidem esse medium sa-
lutis, sed saltem Antecedens, causam adjuvantem & sine qua
non. Ita Socinus in Miscell. inquit: Legimus, fidem servare,
cum tamen non aliter fides servet, quam quia eam salus con-
sequitur, (idem est, ac si dicat, quatenus est Antecedens sa-
lutis) nec sine fide salutem quis adipiscitur. Nullas vires fi-
de ipsâ ad id efficiendum habente aut conferente. Smal-
cius in Disput. IV Contra Franzium de justificat. ad §.
10. Franz: Causa Principalis justificationis est DEI gratia:
*Causa adjuvans, sine quâ DEUS neminem justificare consti-
tuit, est fides in Christum Jesu Christi. Id. in ead. Disp:
Fides non est accuratè loquendo, causa instrumentalis, sed
causa quædam efficiens, non quidem principalis, sed sine
quâ non justificationis nostræ.*

Arminianorum, qui fidem pro conditione aliquâ Evange-
lico fœdere præscriptâ habent. Sunt expressa verba Sim. Epi-
scopii in Disp. XXII. privatâ §. 6. Edit. Dordrecht. 1618. quæ
accuratè concordant cum Autoris nostri sententiâ, Fidem
Antecedens fœderis esse, statuentis. **Thesis**

Theſis orthodoxa huic oppoſita eſt:
Fides eſt medium, inſtrumentum ſalutis,
non verò Antecedens.

Hæc eſt ſententia univerſæ Eccleſiæ Lutheranæ, quæ in
Auguſtanâ Confefſione (quam à 3. Electoribus,
21. Principibus, 22. Comitibus 4. Baronibus, 35. Civitatibus
& 8000. Miniſtris Eccleſiæ ſubſcriptam novimus) ita confi-
tetur Artic. XX: Remiſſionem peccatorum & gratiam &
Juſtificationem fide conſequimur, credentes, quòd propter
Chriſtum recipiamur in gratiam, qui ſolus poſitus eſt medi-
ator & propitiatorium, per quem reconcilietur Pater. Et Art.
IV: Eccleſiæ magno conſenſu apud nos docent, quòd homi-
nes gratis juſtificentur propter Chriſtum *per fidem*, cum cre-
dunt, ſe in gratiam recipi & peccata remitti propter Chri-
ſtum, qui ſuâ morte pro noſtris peccatis ſatiſfecit. Hanc fi-
dem imputat DEUS pro juſtitiâ coram ipſo. Rom. III. IV.

Form. Concord. Artic. III. §. 3. p. 584. Credimus,
docemus & confitemur, ſolam *fidem eſſe illud medium & in-
ſtrumentum*, quo Chriſtum Salvatorem & ita in Chriſto ju-
ſtitiam illam, quæ coram judicio DEI conſiſtere poteſt, ap-
prehendimus, propter Chriſtum enim fides illa nobis ad ju-
ſtitiam imputatur. Rom. IV. 5.

Et ſi forſan Autor rideat Auctoritatem Confefſorum, ſi-
cut in prodromo hujus Tractatûs operoſus in eo fuit,
ut omnem evelleret Auctoritatem; Auctoritas tamen ho-
rum nititur auctoritate S. Scripturæ, utpote quæ ean-
dem ſententiam confirmat ſequentibus in locis:

Rom. III. 22. Juſtitia DEI per fidem Jeſu Chriſti in omnes &
ſuper omnes qui credunt. Non enim eſt diſtinctio. v. 24. ſq. juſti-

justificamur autem gratis per illius gratiam, per Redemtionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit DEUS propitiatorium per fidem, interveniente ipsius sanguine ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præteritorum peccatorum. v. 30. Quandoquidem unus DEUS, qui justificabit Circumcisionem ex fide & præputium per fidem.

Gal. II. 16. Scimus, non justificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi. Et nos in Christum Jesum credidimus ut justificaremur ex fide Christi & non ex operibus legis.

Habac. II. 4. Ecce, qui incredulus est, non erit recta ejus anima in semetipso, justus autem in fide suâ vivet. Ad quæ verba B. Dorschæus Theol. Zach. P. I. Dissert. II. Cap. V. §. 63. benè hæc adjicit: Itaq; *fides est instrumentum vitæ spiritualis fœderalis* ex sanguine Messiano oriundæ & per consequens, hoc interveniente, sunt in fœderis sanguine, quotquot ad Ecclesiam Sionæam pertinent.

Conf. Eph. III. 12. 17. Phil. III. 9. Coloss. II. 12. Ebr. XI. 33. 1. Petr. I. 5. & plura alia loca.

THESIS II.

Fides sola non sufficit ad vitam æternam, sed præter fidem aliud quid ad vitam æternam necessarium.

Vid. Lib. II. §. 31. p. 44. Nec obstat, quod sæpè ipsa vita æterna fidei tanquam finis tribuatur absq; mentione alius ad vitam æternam necessarij requisiti. Et paulò post in probatione hujus asserti: Nicodemo scire desideranti, quid necessarium sibi sit ad regnum Cælorum impetrandum, respondet JESUS: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & spiritu, non potest

potest ingredi in regnum Cœlorum. Fidei igitur mentione posthabitâ mentio tantum fit regenerationis per aquam & spiritum obtinendæ---*Scire igitur tantummodo desiderat, quid præter & post fidem ad salutem æternam sit necessarium.* Porro: Publicanis & militibus interrogantibus, quid sibi ad vitæ æternæ consecutionem sit necessarium, responder Johannes, ut nihil amplius exigant, quàm constitutum sit; ut neminem turbantes, neminem calumniantes, contenti sint suis stipendiis. Luc. III. 12. 14. 15. NB. *Notetur hic falsatio dicti: Publicani & milites l. c. non interrogant, quid sibi ad vitæ æternæ consecutionem sit necessarium, prout ille falsissimè addit, sed saltem, quid sibi baptizatis, conversis sit faciendum, quâ ratione vitam Christiano dignam agere possint.* Ad quod Johannes bene respondet: Bonis operibus fidei documentis esse studendum!

Thesis hæc est:

Pontificiorum, qui negant, solam fidem justificare & salvare. Concilium Tridentinum Anathema dicit eis, qui solâ fiduciâ nos justificari ajunt. Sess. IV. Can. 12. Conf. Can. 14. Bellarminus Tom. IV. Controvers. Lib. I. de justificatione Cap. XIII. §. 1. inquit: Hominem non justificari solâ fide, quinque rationibus principalibus demonstrare conabimur. Costerus in Enchirid. Controv. Cap. VI. de justificat. Tit. de Causis & Modis justificationis sic loquitur: In Scripturis non soli fidei, sed aliis etiam virtutibus peccatorum remissio adscribitur. (Hæc verba sunt eadem cum Autoris nostri Lib. II. §. 1. p. 1. quando ait: Manifestò autem tam spontanæ mandatorum divinorum observationi, quàm fidei, consecutio tribuitur vitæ æternæ.)

Socinianorum & Arminianorum, qui licet & ipsi per fidem in Christum nos justificari concedant, meritum

tum Christi tamen, cuius intuitu iusticemur, nullum agnoscunt, & proinde fidem, quâ Christi meritum apprehendatur, rident; contra autem eam, in quantum justificandi vim habet, in observantiâ mandatorum Christi constitutam volunt, ut hominem per fidem in Christum justificari, ex illorum mente, idem sit, quod per novam obedientiam s. mandatorum Christi observantiam ipsum justificari. Vid. Socinus, qui Tom. II. Oper. P. IV. de Servat. Chro. Cap. XI. & XII. docet: *Fidem justificantem esse obedire præceptis DEI & credere, vera esse, quæ Christus dixit.* Id. Miscel. fol. 102. Tom. II. Oper. fol. 477. *Opera non modò à fide, quâ justificamur, separari nequeunt, sed anima seu forma quædam ac vita ejus fidei sunt.* Et Tom. I. Oper. fol. 623. *Hæc sola res est, quæ pro Dei misericordiâ nos illi fidei ad vitam æternam gratos efficit. Nempe Christo confidere eiq; totum se tradere, id quod re ipsâ nihil aliud est, quàm ejus præceptis obedire spe futuræ immortalitatis.*

Thesis orthodoxa huic opposita est:

Fides sola sufficit ad vitam æternam, nec præter fidem aliud quid ad vitam æternam est necessarium.

Apologia A. C. Art. II. p. 73. sq. ita habet: *Consequi remissionem peccatorum est justificari juxta illud: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates. Solâ fide in Christum consequimur remissionem peccatorum. Igitur solâ fide justificamur, intelligendo justificationem, ex injusto justum effici seu regenerari. Et Art. V. p. 173. Certissimum est, etiamsi omnes portæ inferorum reclamant, remissionem peccatorum non posse accipi: nisi solâ fide, quæ credit peccata remitti propter*

B

Christum juxta illud. Rom. III. 25. Quem proposuit DEUS propitiatorem (JESUM Christum) per fidem in sanguine ipsius. It. Rom. V. Per quem accessum habemus per fidem in gratiam &c.

Artic. Smalcald. p. 304. Certum & manifestum est, solam fidem nos justificare, sicut Paulus Rom. III. inquit: Statuimus justificari hominem, per fidem absq; operibus legis. It. ut sit ipse justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi. De hoc articulo cedere, aut aliquid contra illum largiri aut permittere nemo piorum potest, etiamsi Cœlum & terra ac omnia corruant. Non enim est aliud nomen hominibus datum, per quod salvari possimus (inquit Petrus Act. IV.) & per vulnera ejus sanati sumus, Es. LIII. & in hoc articulo sita sunt & consistunt omnia, quæ contra Papam, Diabolum & universum mundum in vitâ nostrâ docemus, testamur & agimus. Quare oportet nos de hac doctrinâ esse certos & minimè dubitare, alioquin actum est prorsus, & Papa & Diabolus, & omnia adversa jus & victoriam contra nos obtinent.

Scripturæ testimonia, quibus horum nititur auctoritas, præcipua sunt:

Rom. III. 28. Arbitramur igitur fide justificari hominem absque operibus legis.

Rom. IV. toto capite describitur fides Abrahamitica & copiosè docetur, illam solam fuisse conditionem fœderis divini acceptandi ex parte Abrahamæ, per quam ad justitiam & reliqua bona fœderalia pervenerit; Conf. Gal. III. 6. ubi compendiosè idem repetitur.

Luc. VIII. 50. inquit Servator ad Principem Synagogæ: Crede tantum & salva erit (filia)

Gal. II. 16. Non justificatur homo ex operibus legis, *ἐὰν μὴ διὰ πίστεως* nisi per fidem Jesu Christi. **THE-**

THESIS III.

Spontanea obedientia est necessaria ad salutem.

Vid. Lib. II. §. 82. p. 126. Si non est condemnatio illis, qui in Christo Jesu sunt, qui non secundum carnem ambulant, sed spiritu operationes carnis mortificant; Moriendum autem his est, qui secundum carnem vivunt: sequitur, *obedientiam spontaneam esse necessariam*, ut liberi simus tam à maledictione, quam à custodiâ legis. Atqui non est condemnatio illis, qui in Christo Jesu sunt, qui non secundum carnem ambulant, sed spiritu operationes carnis mortificant; Moriendum autem his est, qui secundum carnem vivunt. *Es. Obedientia spontanea est necessaria ut liberi simus tam à maledictione, quam à custodia legis.*

Thesis hæc est:

Præter Pontificios Socinianorum, qui novæ obedientiæ s. nostris operibus ad scribunt salutem Ita Socinus supra Thes. II. allegatus Tom. II. Oper. docet, *Fidem justificantem esse obedire præceptis Dei & ea credere vera esse, quæ Christus dixit.* Schlichtingus in Disput. pro Socino contra Meisnerum quæstionem instituit, an bona opera sint justificationis & salutis nostræ causa, & affirmativam hisce s. 147. verbis probare conatur: *Qvis illud facere annitatur, quod ad salutem æternam non sit necessarium, præsertim si sit admodum difficile, ut est pietatis studium.* Conf. Smalcium in Disp. II. de Pœnitentia contra Franzium.

Arminianorum, qui eandem hanc cum Socinians fovent sententiam in Apolog. Cap. X. p. III. verba sunt hæc.

hæc: Neq; causa est, aut ratio ulla est, quæ Censores movere potest, cur hanc Remonstrantium *sententiam de Fide seu Obedientia, quòd videlicet in negotio justificationis consideranda veniat, ut opus s. actus noster,* censuerint Socinianam aut Sociniano-Pontificiam, aut talem, quæ à communi Ecclesiarum Reformatarum consensu sit diversa. Et cap. eod. p. 113. Per fidem in negotio justificationis intelligendus est actus fidei, quatenus in se includit totam obedientiam hominis Christiani Lege Fidei i. e. Evangelio præscriptam.

**Thesis orthodoxa huic opposita est:
Spontanea obedientia non est necessaria
ad salutem:**

Thesin hanc suam faciunt Orthodoxi Confessores, quando à causis salutis removent præter fidem omnia alia, quocunq; veniant nomine, vel novæ obedientiæ vel bonorum operum:

Aug. Conf. Art. V. p. 11. Per verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta donatur Spiritus S. qui fidem efficit, ubi & quando visum est Deo, in iis, qui audiunt Evangelium, scilicet, quòd DEUS non propter nostra merita sed propter Christum justificet hos, qui credunt se propter Christum in gratiam recipi.

Apol. p. 89. sq. Deinde illa legis impletio s. obedientia erga legem, est quidem justitia, cum est integra, sed in nobis est exigua & immunda. Ideò non placet propter se ipsam, non est accepta propter se ipsam. Quanquam autem ex his, quæ supra dicta sunt, constet, justificationem non solum initium renovationis significare, sed reconciliationem, quâ etiam postea accepti sumus: Tamen nunc multò clarius perspicere poterit

poterit, quòd illa inchoata legis impletio non justificet, quia tantum est accepta propter fidem. *Nec est confidendum, quòd propriâ perfectione & impletione legis coram Deo justi reputemur, ac non potius propter Christum.* Et p. 96. Accipitur igitur tantum fide remissio peccatorum & justificatio, non propter ulla opera. Sicut constat in terroribus conscientiae, quòd non possunt iræ Dei opponi ulla nostra opera, sicut Paulus clarè dicit: Fide justificati pacem habemus erga DEum, per Dominum nostrum Jesum Christum, per quem & accessum habemus fide. Conf. p. 66. 67. 121. 129.

Artic. Smalcald. p. 304. Hoc cum credere necessè sit & nullo opere, aut lege, aut merito acquiri & apprehendi possit, certum est & manifestum, solam hanc fidem nos justificare, sicut Paulus Rom. III. inquit: statuimus, justificari hominem per fidem absq; operibus legis. It. Ut sit ipse justus & justificans eum, qui est ex fide Jesu Christi.

Form. Concord. Art. IV. p. 589. Credimus etiam, docemus & confitemur, quòd bona opera penitus excludenda sint, non tantum cum de justificatione fidei agitur, sed etiam, cum de salute nostrâ æternâ disputatur, sicut Apostolus perspicuis verbis testatur, cum ait: Sicut & David dicit, beatitudinem hominis, cui DEus accepto fert justitiam sine operibus. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Et alibi: Gratiâ, inquit, estis salvati, per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur. Et p. 704. egregiè rem explicant. Verba eorum merentur huc transcribi: Interim, tamen diligenter in hoc negotio cavendum est, ne bona opera articulo justificationis & salutis nostræ immisceantur. Propterea merito hæc propositiones rejiciuntur:

B 3

Bona



Bona opera fidelibus necessaria esse ad salutem: Ita, ut impossibile sit, sine bonis operibus salvari: Quia simpliciter pugnant cum doctrina de particulis exclusivis, in articulo justificationis & salvationis: quibus particulis D. Paulus opera & merita ab articulo justificationis & salutis nostræ penitus exclusit, & omnia soli gratiæ atq; clementiæ divinæ, & Christi merito adscripsit: quemadmodum superius declaravimus. Et propositiones illæ (de necessitate bonorum operum ad salutem) perturbatis & afflictis conscientis veram Evangelii consolationem eripiunt; occasionem præbent dubitationi de gratia Dei, multis modis sunt periculosa: præsumptionem & falsam opinionem de propriâ justitiâ, fiduciam propriæ dignitatis confirmant: à Papistis acceptantur, & ad ipsorum malam causam fulciendam (contra sinceram doctrinam de solâ fide salvante) adducuntur. Quin etiam formæ sanorum verborum repugnant; cum scriptum sit: Beatitudinem, tantum esse hominis, cui DEUS imputat justitiam sine operibus. Et in Conf. Aug. Art. VI. scriptum legimus: Salvari nos sine opere SOLA FIDE. Sed & D. Lutherus has propositiones rejecit atq; damnavit. Primo quidem in falsis Apostolis, qui Galatas in errorem induxerant. 2. Deinde in Papistis, multis admodum locis. 3. Postea etiam in Anabaptistis, qui hanc interpretationem adferunt, quòd fides quidem non debeat niti meritis operum: Sed tamen ea necessariò ad salutem requiri sit confitendum. 4. Postremò in quibusdam aliis, suis hominibus, qui hanc, ut loquuntur, glossam in medium adducebant: si maximè, dicebant, bona opera tanquam ad salutem necessaria requiramus, tamen non docemus, quòd bonis operibus sit confitendum. Quare & ex jam memoratis causis in ecclesiis nostris meritò hoc ratum, certum & fixum esse debet: quòd Phrasæ seu Propositiones illæ, de bonis operibus ad salutem necessariis, non sint docendæ, defendendæ

dendæ, pingendæ, sed potius ex ecclesiis nostris, ut falsæ,
& non sinceræ explodendæ atq; rejiciendæ, quippe quæ tem-
pore persecutionis (ubi clarâ & perspicuâ confessione adver-
sus omnis generis corruptelas & depravationes articuli justi-
ficationis maximè opus erat) ex Interreligionis formulâ re-
novatæ, promanarint atq; denuò disputationibus novis oc-
casionem præbuerint.

Eandem Thesin defendunt: B. Gerhardus in L L. The-
ol. Loc. XIX. de justific. §. 151. sq. D. Scherzerus in Colleg.
Anti-Socin. Disp. LXXVII. seqq. de justificat. Et Disp.
LXXXIX. de B. O. Feürbornius Syntagm. II. Dissert. XVIII.
p. 516. sqq. & in Antioistorodock. Stegmannus in Photinianismo
Disp. XL. de B. O. quæst. 5. D. Calovius in Socinismo pro-
fligato Sect. VII. Art. VIII. de B. O. in Arminianismo Cap.
XI. de Fide in I. C. Disp. XIII. §. 22. sq. *Quorum fundamenta
Autor si evertere queat, Vir esto.*

Scripturæ testimonia sunt:

(I.) *Ea, quæ solam fidem ad salutem esse necessariam arguunt nul-
lâ factâ mentione operum:*

Marc. XVI. 16. Qui crediderit, salvus erit.

Joh. III. 15. 16. Quicumque credit in filium Dei, non perit,
sed habet vitam æternam.

Cap. XX. 31. Hæc scripta sunt, ut credatis, quòd Jesus est
Christus, ille filius Dei, & ut credentes, vitam habeatis per
nomen ejus.

Aët. XVI. 31. Crede & salvus eris.

Rom. I. 17. justitia Dei per illud patet ex fide in fidem, sicut
scriptum est: Justus autem ex fide victurus est.

(II.) *Ea, quæ opera à causis salutis excludunt:*

Rom. III. 28. Arbitramur igitur, hominem justificari fide
absq; operibus legis. (Hæc conclusio, si resolvatur in simplices
propositiones, duas includit (1) *Fides justificat*, [2] *Opera non
justificant.*) Gal.

Gal. II. 16. Non justificatur homo ex operibus legis. Ex o-
peribus legis non justificabitur omnis caro.

Ephes. II. 8. Gratiâ servati estis per fidem (idq; non ex vo-
bis, Dei donum est) Non ex operibus, ne quis glorietur. &c.

THESIS IV.

Remissio peccatorum non prodest ho-
mini ad æternam beatitudinem
impetrandam; sed saltem ad
cruciatus infernales a-
vertendos.

V. Lib. II, §. 48. p. 66. *Sola & absoluta peccatorum condonatio
nec contingit homini, nec si contingeret, prodesset ei ad æternam
beatitudinem impetrandam. Sed saltem ad cruciatus infernales
avertendos. Et paulò post §. 49. Verùm nec cessatio pœnarum
est ipsa æterna beatitudo, nec sola peccatorum condonatio infert
æternam beatitudinem. Sola enim peccatorum condonatio non mu-
tat internè peccatorem, sed relinquit eum beatificæ visioni Dei
incongruum.*

Thesis hæc, quantum ego quidem memini, est
planè nova & in Ecclesiâ inaudita.

Notetur autem

Antithesis orthodoxorum.

Sic habet Catechismus minor Lutheri Li-
ber Symbolicus p. 381. Ubi remissio pec-
catorum est, ibi & vita est & salus.

Form

Form. Concord, Art. III. p. 683. De justitia fidei coram Deo, unanimi consensu credimus, docemus & confirmemur, (juxta compendiarium Christianæ nostræ fidei & confessionis capita, quæ supra posuimus) quod homo peccator coram Deo justificetur, h. e. *absolvatur ab omnibus suis peccatis & à judicio justissimæ condemnationis & adoptetur in numerum filiorum Dei atq; hæres æternæ vitæ scribatur*, sine ullis nostris meritis aut dignitate &c.

Fundamenta sunt dicta S. Scripturæ:

(I) *quod homo, cui remissa sunt peccata, impunis sit:*

Rom. V. 1. justificati igitur ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.

Et v. 9. sqq. Multo igitur magis justificati nunc sanguine ejus servabimur per eum ab irâ. Nam si, cum inimici essemus, reconciliati fuimus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati servabimur per vitam ipsius.

I. Thess. I. 9. sq. Si quidem ipsi de nobis annunciant, qualem ingressum habuerimus ad vos, & quomodo conversi fueritis ad Deum à simulachris, ut serviretis Deo viventi & veraci, Et expectaretis Filium ejus de Cœlis (quem excitavit à mortuis) Jesum, *qui liberat nos ab irâ venturâ.*

(II) *quod homo, cui remissa sunt peccata, favorem Dei accipiat & jure hereditatis æternæ potiatur.*

Pf. XXXII. 1. sq. & Rom. IV. 7-8. Beatus, cui remissæ sunt iniquitates, cujus obtecta sunt peccata; Beatus vir, cui Dominus non imputat iniquitatem. NB: Pluralis *בְּרָכָה* beatitudines, notat hîc beatitudinem gratiæ cum relatione ad consequentem beatitudinem gloriæ. Conf. Pf. I. 2. Pf. CXII. 1. Tit. III. 6. justificati illius gratiâ hæredes efficimur juxta spem vitæ æternæ.

C

Rom.

Rom. VI. 22. Nunc verò manumissi à peccato, servi autem facti DEO, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam æternam.

Cap. VIII. 17. Quòd si filii, igitur & hæredes: Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

Gal. III. 29. Quòd si vos estis Christi, igitur Abrahæ semen estis & juxta promissionem hæredes.

OBSERVATIONES.

(1) Autor §. i. p. i. inquit: *Manifestò autem tam spontaneæ mandatorum divinorum observationi, quàm fidei, consecutio tribuitur vitæ æternæ.* Quæ verba nisi sano sensu & cum distinctione quadam capiantur, facile quem decipere & in Autoris sententiam Thesi III. de necessitate spontanæ obedientiæ ad salutem, trahere possunt. Notandum ergò, quando Scriptura S. & fidei & mandatorum divinorum observationi tribuit vitam æternam, diverso id fieri modo: Fidei nempe tribuit causaliter, quòd fides sit causa & medium consequendi salutem; Operibus autem solùm declarativè, quòd operam declarent & arguant, peragentem talia consequentur vitam æternam. Res exemplo fiet clarior. Vulgatum est: *Ægroto dum anima est spes, esse dicitur, (sc. ad vitam.)* Hic animæ vel spiritui, è naribus ægroti adhuc exeunti, tribuitur vita, non tamen causaliter, ac si spiritus ille sit causa vitæ; sed saltem declarativè, cum saltem signum sit ac declaratio, adesse adhuc animam. Res ita se habet cum Operibus. Tribuitur eis vita æterna non causaliter, sed declarativè. Tribuitur Operibus, non propter opera, sed propter fidem, quam opera talia demonstrant, esse præsentem. Absit autem, ut Nostrates hæc docendo opera nullatenus necessaria homini Christiano esse statuunt, quin potius neces-

necessaria esse ratione mandati, ratione fidei deserte testantur. Necessaria nempe sunt, quia Deus præcepit, necessaria ut fides inde cognoscatur, quam veram & vivam esse ipsa opera certissimè declarant. Jac. II. 18. 1. Joh. III. 10. Optimè in hanc rem differit B. Gerhardus in Disp. Theol. de fide justificante §. 72. sq. *Dicitur, inquit, fides absq; operibus mortua, non quasi opera eius sint anima; sed quia illa fidei professio & jactantia, quæ non habet honorum operum testimonium est simulachrum s. cadaver quoddam sine omni vita. Opera ergo testantur de verâ fide, sicut respiratio de vitâ hominis, non autem sunt fidei vita. Perinde ut fructus boni de arboris bonitate testantur, non verò arborem bonam, constituunt.*

(II.) Porro Autor defendere conatur, *Infantes infidelium absq; Bap̄tismo defunctos non damnari.* Verba Lib. II. §. 48. p. 66. sunt: *Infantes gentilium non baptizati, qui, antequam justum atq; injustum per ætatem discernere possunt, moriuntur. Eos cruciatibus infernalibus carituros his probo argumentis: Si mitiores pœnæ manent hos, qui levius peccaverint, acerbiores verò, qui gravius deliquerint; sequitur, iis planè cessare pœnas, qui, cum moriuntur, nullum voluntarium peccatum commiserint. At qui mitiores pœnæ & c. E. iis planè cessant pœnæ, qui, cum moriuntur nullum voluntarium, peccatum commiserint. Si autem iis planè cessant pœnæ; qui, cum moriuntur, nullum voluntarium peccatum commiserint: sequitur, ut (noli conqueri, Prisciane, de injustis plagis. Eveniunt tibi jam secundâ vice à Typographo, cui Autor non fuit præsens, aliàs cohibuisset) infantibus gentilium absqve Bap̄tismo defunctis pœnæ cessent. Atqui iis planè cessant pœnæ, qui, cum moriuntur, nullum voluntarium peccatum commiserint. E.*

infantibus gentilium absque Baptismo defunctis pœnæ cessant.

Quæ verò Autoris sententia quàm firmo stet talo, cuius patet, qui saltem formam hanc evidentiore probè consideraverit:

Si tolerabilior futura conditio Tyriorum & Sidoniorum in extremo iudicio, quàm Chorazinorum & Bethsaidanorum, eò quòd non tam mali fuerunt, quàm hi, sequitur, infantes infidelium absque Baptismo defunctos à pœnâ planè futuros liberos, eò quòd licet corrupti, nullum tamen peccatum commiserint.

Quâ ratione hæc consequentia quendam reddere certum possit, infantes infidelium à pœnis planè fore immunes, mihi quidem non patet. Quid si alius ita inferret? Ergo sequitur, infantes infidelium absque Baptismo defunctos adhuc mitiores pœnas habituros, quàm habituri sunt Tyrii & Sidonii. Quibus rationibus hanc consequentiam refelleret? Melius ergò Autor forsitan fecisset, si τὸ ἐπέχειν Apostoli I. Cor. V. 12. *quid mea (interest) de iis, qui foris sunt iudicare?* in hac sententiâ suam fecisset, & iudicium de salute eorum suspendisset. Contrarios autem in sua opinione habet quàm plurimos, qui omnes infidelium liberos extra Ecclesiam natos damnari statuunt. Inter quos est Tarnovius Prof. Rostoch. citante Carpzovio in Isagoge p. 152., qui non solum Aug. Conf. Artic. II. de peccato Origin. cum Apologiâ & Antithesi Artic. IX. de Baptismo eò trahit atque refert, sed etiam Theologos ἐπεχόντας, ac iudicium suum suspendentes refutat. Verum, uti iam citatus Carpzovius benè monet, loquitur Aug. Conf. prout planum & clarum est, de illis, qui planè non regenerantur. Fieri autem non posse, ut infantes isti non extraordinariè regenerentur & membra Ecclesiæ fiant Aug. Conf.

Conf. non dicit. Plura digna legi invenies l. c. Multò minus verò Autori nostro conveniet cum quibusdam è Patri-
bus, qui etiam Christianorum infantibus non baptizatis sa-
lutem planè denegant, inter quos est Augustinus Epist. 28.
L. I. de Animal. L. III. de Fide ad Petrum Diac. c. 27. De
quâ sententiâ legi merentur D. Roberus in Libello peculia-
ri germanico de hâc controversiâ. Cassander de Baptismo
infantum p. 772. seqq. & plures alii.

Hæc pauca ad ea, quæ hæctenus ab Autore edita sunt, ad
notasse sufficiant, donec alii illud Socini ovum tanquam con-
fufum chaos multis futilibus censequentiis refertum, quoad
omnes partes sub ἀνατομίᾳ revocent.

Coronidis loco binos hosce Syllogismos B. Lectori dijudican-
dos relinqvimus contra Autoris Tractatum & ejus Titulum:

*Titulus est: Ad Consensum in Articulo de justifi-
catione hominis coram Deo Christianis
restituendum.*

Syllog. I.

Ubi nunquam talis apud Christianos in
Articulo de justificatione fuit consen-
sus, ibi frustra laboratur in restitutione
consensus.

Atq; nunquam talis apud Christianos in
Articulo de justificatione fuit consensus.

(Ubi enim inter Christianos unquam consensus fuit, veras
esse istas Theses, quas supra notavimus?)

C 5

E.

E. Frustra ab Autore laboratur in restitutione consensus,

Syllog. II. contra Tractatum Autoris.

Quæcunq; Theses: contrariantur Libris Symbolicis Ecclesiarum nostrarum & conseqventer ipsi Sacræ S. imò exactè conveniunt cum Thesis Sociniorum, Arminianorum & aliorum hæreticorum, illæ sunt extra dubium heterodoxæ,


Atqvi Theses præmissæ Huthmannianæ sunt tales,

E. sunt heterodoxæ.

II. Tim. III. 14. sq.

Persistito in his, quæ didicisti & quæ tibi concredita sunt, sciens, à quo didiceris. Et quòd à puero Sacras literas noveris, quæ te possunt eruditum reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu. Et I. Tim. IV. 16. Attende tibi ipsi & doctrine. Nam id si feceris & te ipsum servabis, & eos, qui te audierint.

SOLI DEO GLORIA.



Ung VI - 13

ULB Halle 3
003 499 529



84

h. 5. 23. 30 Stück

VD17

7







Lector Benevole,

AD manus venere nuper Libri duo Tractatus M. Henningi Huthmann, Rectoris antehac Cœnobii Ilfeldensis, cui Titulus: *Fœdus novum Jer. XXX. 31. ad consensum in Articulo de Justificatione hominis coram Deo Christianis restituendum*, quos cum obiter saltem perlustrarem & plurima inibi Veritati Evangelico-Lutheranæ adversa deprehenderem, illicò ardebam studio, ea, quæ hætenus ex lectione superficiariâ primoribus quasi labris degustâram, rectius cognoscendi. Proinde cœpi, non solum iterum atq; iterum eosdem majori cum studio & attentione relegere, sed & excerpere Theses, quæ mihi se offerebant heterodoxæ, easq; dehinc cum Thesibus Nostratum orthodoxis conferre. Ex quo mox fiebat, ut præsentibus, quas hic conspicias, Theses & Antitheses inde enascerentur. Enimverò mihi ipsi duntaxat eas notaveram, nec animus erat, easdem publici juris facere; Attamen cum animadverteterem, fieri posse, (vereor ne jam factum sit,) ut incauti & quorum sensus sunt inexercitati, facile arripiant, quod fraudes horum, qui simulatione loquuntur falsa (die in *Gleisneren Heuchelen und Scheinheiligkeit Lügenredner sind* 1. Tim. IV. 2.) sub specie boni & veri venditant; Persvaderi facile potui, ut ex universâ istarum ultro citroq; collatarum thesium compage quatuor tantum modo seligerem prelo submittendas, ad quas reliquæ omnes facili negotio ita revocare liceret, ut quid in iis veri falsive in esset, qui vis, qui positivæ nostræ, quam dicimus Theologiæ fundamenta fideliter jecerit perspicere & dijudicare posset. Nec enim, quod Te, amice Lector, præmonitum volo, hîc examen Oecomiæ universæ hujus ita dicti Fœderis institui, aut refutationem totius Huthmanniani operis quoad singulas partes suscepi, quippe id nec mearum partium esse nec forsan operæpretium fore judicavi, utpote qui hæc omnia relinquo aliis, no

A iisq;